



Disputatio juridica inauguralis de jure emphyteutico

<https://hdl.handle.net/1874/342457>

20.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
JURE EMPHYTEUTICO.

Q U A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

PAULUS DE GRUYTER, dictus BUYS, Ultraject.

A. D. 21. Julii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc xc.

*Nobilissimo, Amplissimo, Spectatissimo
D O M I N O,*

D. W I L H E L M O
à SCHUYLENBURCH, J. C.
Domino de DUCKENBURGH,

Potentissimi Britannorum MONARCHÆ

WILHELMI III.

TRIUM RÉGNORUM A DEO DATI SOSPI-
TATORIS, VERÆ FIDEI STRENUIS-
SIMI DEFENSORIS ,

Quoad Domania Regia in Foederato
Belgio, Confiliario intimo , Graphia-
rio fidelissimo , Domino & Fautori
eximio ,

*Theses basēe Inaugurales, in observantie
nunquam non debite signum,*

Sacras vult

PAULUS DE GRUYTER, dictus BUYS,

Auctor.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

JURE EMPHYTEUTICO.

THESIS I.



Omines h̄ac lege generatos, qui tuerentur illum Gle-
bum quem in hoc Mundi templo medium videmus,
qua terra dicitur, Ciceronis somnium Scipionis
enarrantis sunt verba. Quo vero potissimum mo-
do munus hoc sibi à Deo assignatum exequatur
Mortalis, idem alio loco explicat Tullius, ubi
homines terra cultores appellat, qui in hoc sint con-
stituti, ne patientur eam vel immanitate belluarum
efferari, vel stirpium vastari asperitate. Verissimam

hanc Clarissimi Oratoris esse sententiam docet innatum quasi homini agri-
culturæ studium, quo non aliud primos humani generis conditores dili-
gentiū excoluisse in confessu est. Primigeniæ hujus artis necessitatem &
commoda cum probè perspecta haberent rerum Magistri, latis variis legi-
bus illam fovere & propagare annixi sunt. Atque huic quoque rei suum debet
initium celebris iste contractus Emphyteuseos; cujus naturam in præsen-
tiarum Inaugurali hoc Exercitio exponere, eamque sub disputationis in-
cudem revocare gestit animus.

II. Vox *Emphyteuseos* Originis Græcæ est, & derivata ἐμφύτευσιν, quod inserere aut implantare & per metaphoram melius reddere significat: hujus enim contractus usus nil nisi meliorationem intendit. Unde facile etiam apparet, inceptum illum fuisse usurpari, cum agri inculti ac deserti non ad exiguum aliquod tempus, sed in perpetuum aut certe ad longissimum tempus excolendi fruendique dari cœperunt; idque propterea, quod alioqui nemo repertus fuisset qui propter incertam pos-
sessionem in illorum culturam ac meliorationem tantum laboris impendio-
rumque conferre voluisset: ac non tantum agros steriles verum etiam
fertilissimos postea ita locari receptum est. Vinn. ad §. 3. f. de locat. Go-

4 DISPUTATIO JURIDICA

thofred. ad l. i. in pr. C. de J. E. Sumitur autem varie vox hæc Emphyteuseos. Quandoque enim ipsum contractum, Nov. 7. c. 3. Nov. 120. c. 1. 5. 6. quandoque jus in re per talem contractum constitutum denotat, l. i. 2. Cod. de jur. Emphyt.

III. Non inconvenienter ergo priori modo sumpta Emphyteusis describi potest, quod sit *contractus*, *juris gentium*, *bonæ fidei*, *consensu constans*, *quo dominus predii sui usumfructum & quasi dominium alteri concedit sub lege meliorationis, & præstations anni* Canonis. *Contractus* primo dicitur; *Emphyteusis* enim *contractum esse*, eumque à reliquis omnibus Zenonis constitutione distinctum indubitatum est, arg. §. 3. J. de locat. & tot. tit. Cod. de jur. Emphyt. Quippe quæ ultro citroque propria vi ac virtute obligationem producit, l. i. C. de jur. Emphyt. quod est proprium *contractus*, l. 7. §. 1. ff. de Pact. l. i. in pr. ff. de O. & A. l. 19. ff. de V.S. Præterea si *Emphyteusis* *contractus* non esset, frustra olim & ineptè dubitassent veteres, utrumne *Emphyteusis* esset Locatio conductio, an vero Emptio venditio, cum utramque *contractum* esse constet. §. 3. J. de locat. Hunn. in res. ad Trent. v. 1. d. 20. q. 30.

IV. Additur quoque esse *contractum juris gentium*. Patet hoc exinde manifestò quod *Emphytheusis*, ubi primum cognita fuit, ex communiationis usu tacitoque populorum consensu recepta ac approbata fuerit, unde ad *jus gentium* merito referenda videtur. Quicquid enim ejus est naturæ, ut ab aliquo excogitatum ac institutum omnium de se moveat opinionem, ad usum quasi vitæ communis conducens, id *juri gentium* necessario adscribi requiritur, arg. §. 1. 2. J. de jur. nat. gent. l. 1. ff. de justit. & jur. non omnia enim ad *jus gentium* referuntur eodem modo & gradu. Bronch. cent. 1. assert. 79. Vinn. ad §. 3. J. de locat. Et nihil est, cur putemus, hunc *contractum* à Zenone primo fuisse excogitatum, cum non absimile populi Romani institutum fuerit jam inde ex quo Italiam subegit, uti in Gracchorum vita testatur Plutarchus his verbis: *Romani finitimorum agrum bello captum partim vendebant parium publicabant, eumque tenuibus Civibus fruendum dabant; qui tributum in ararium non magnum referrent.* Et non tantum Romanos, verum etiam Byzantios pecuniis egentes, ita olim de publicis eorum agris fecisse constat; & fertiles quidem ad tempus, steriles vero in perpetuum locasse, autor est Aristot. lib. 2. Oecon. Quin & vetustioris originis esse hinc etiam suspicari licet, quod consimilem *contractum* apud Ægyptiacos obtinuisse legamus apud Mos. Gen. 47. v. 24. & seqq. Joseph. 2. Antiq. Judaic. 4.

V. Bona

V. *Bona fidei* contractum hunc esse diximus, propterea quod affinis & germanus sit locationi; imo & Emphyteusis perpetua locatio dicitur, l. 1. §. 1. ff. si ag. veit. & §. 3. J. de locat. Nihil quoque in toto hoc contractu ad ejus substantiam pertinere videtur, quod non ex locationis vel emptionis acceperit contractu. l. 1. 2. 3. ff. si ag. veit. Cum igitur ea omnia ex quibus consistit, ad bonæ fidei contractus emptionem & locationem pertineant; absurdum esset hunc contractum diversæ naturæ censeri. Major sane ratio *bona fidei* inter dominum & perpetuum colonum, quam inter temporarium & locatorem existit. Præterea per hoc confirmatur, quod pacta huic contractui in continentि adjecta tam actionem quam exceptionem pariant, §. 3. J. de locat. l. 1. C. de jur. Emphyt. Cum tamen (juxta veriorem sententiam) pacta contractibus stricti juris adjecta tantum exceptionem non vero actionem producant. l. 7. §. 5. ff. & l. 13. C. de Pact. Bronch. c. 1. assert. 31. Perez. C. de Pact. n. 26.

VI. Etiam *consensu constans* adjicetur; quia ad perfectionem sive substantiam Emphyteusos nihil aliud requiritur, sed sola conventio de concedendo prædio fruendo, & præstandâ annuâ mercede, hunc contractum validum firmumque efficit, obligationemque parit. §. 3. J. de locat. l. 1. C. de jur. Emp. l. 2. ff. de oblig. & act. Hinc etiam ad hujus perfectionem nec *scripturam* præcise desiderari placet, cum ad rei gestæ substantiam vel fidem illa non requiratur. l. 4. ff. de pign. hyp. l. 4. ff. de fid. inscr. l. 17. C. de Pact. & quamvis sœpe *scriptura* interveniat, & propterea jura mentionem *scripturæ* faciant dum de contractu Emphyteutico agunt l. 2. 3. C. de jur. Emphyt. omissa tamen *scripturæ* contractum non vitiare, patet ex l. 3. hoc & Nov. 120. c. 1. in contractu deinde feudali *scripturam* non esse necessariam, feudique concessionem etiam per testes probari posse constat c. 1. quid sit invest. 2. feud. tit. 2. à feudo etiam ad Emphyteusin recte sit argumentatio. Beuckel. ad tit. ff. si ag. veit. & Zeno non ideo *scripturæ* mentionem facere eamve requirere videtur, quod sine ea contractum subsistere nolit, verum ut probationis gratia accedat. Vinn. ad §. 3. J. de locat. Perez. C. de jur. Emphyt. n. 2.

VII. *Dominus* ut sit, qui Emphyteusin constituit, requiritur. Dantem enim sive concedentem omnino dominum esse oportet, nec ab alio contractus hic recte constituitur. §. 2. 1. de locat. Nec refert an plures sint, qui universitatem aliquam constituant, vel non, l. 1. in pr. & §. 1. ff. si ag. rect. an singuli & privati. l. 1. 2. C. de jur. Emphyt. in quibus locis cum indistincte *domini* mentio fiat, recte privatus quisque prædii sui *dominus* in

6 DISPUTATIO JURIDICA

eo jus Emphyteuticum constituere poterit, modo rei suæ alienatio vel administratio libera ipsi non sit interdicta, arg. l. ult. C. de reb. alien. non al. l. 1. C. de jur. Emphyt. Nemo enim plus juris in alium conferre potest quam ipse habet l. 54. c. e R. J. donell. lib. 9. Comm. de Jur. Civ. c. 13.

VIII. Predii expresse mentio fit, ut indicetur hunc contractum non nisi in immobilibus puta prædiis vel fundis locum habere §. 3. 1. de locat. & tit. ff. si ag. rect. illi enim colendo, ferendo, implantando meliores fieri possunt, l. 1. 2. & 3. C de Emphyt. idem tamen in mobilibus rebus non obtinet, ut pote quibus finis hujus contractus, qui est melioratio non competit: sed ipso usu aut perire necesse, aut fieri deteriores l. 1. & 2. ff. de usuf. ear. que usu conf. Et non immobiles solum, sed res quoque solo cohærentes unā cum solo cui cohærent in Emphyteusin concedi possunt C. 1. defend. cognit. lib. 2. feud. Harpr. ad §. 3. J. de locat. n. 143. Atque hinc quæstio fluit satis controversa, num præter prædia rustica etiam urbana, nempe ædificia, in Emphyteusin concedi possint? & quamquam nonnulli id negent, inter quos Donellus, quem etiam sequuntur Bacchov. & Hunn. verius tamen videtur in ædibus quoque tale jus posse constitutum quod pluribus locis expressa vectigalium ædium reperiatur mentio. l. 15. §. 26. ff. de damn. infect. Nov. 7. l. 3. §. 2. Nov. 120. C. 1. tum quod in l. 16. §. ult. ff. de pign. act. prædium indefinite vectigale vocetur, at verbo prædii etiam urbanum predium, atque adeo ædes, contineri solent l. 198. de V. S. Omnes præterea Emphyteuseos proprietates & requisita non minus applicari possunt prædio urbano quam rustico, nam ita ut agri, sic & ædificia meliora reddi & ea lege elocari queunt. Voer. ad §. 3. J. de locat. Arn. Corv. C. de jur. Emphyt.

IX. Usumfructum & quasi dominium prædii alteri concedi statuimus; quia in Emphyteutam transit jus aliquod reale seu utile dominium ut à DD. vocatur, quam distinctionem multi tamen improbant, & jus quod-dam dominio proximum admittunt, quamvis inepte, & modo quis aliam speciem dominii admittat, de verbis laborandum non est; nam nihil vetat quo minus hoc utile appellari possit, quod jus perpetuum est, & ex quo datur in rem actio, etiam contra ipsum dominum directum, Bachov. in not. ad Wesemb. tit. ff. si ag. rect. Illud autem dominium consistit, in jure quamlibet commoditatem ac utilitatem ex re Emphyteutica percipiendi, l. 1. in pr. & §. 1. ff. hoc. Unde etiam Emphyteuta omnia onera, veluti tributa, collectas, aliasque publicas penititationes solvere, nec non dampnum particulare ferre obstrictus est, l. 1. 2. C. de jur. Emphyt. Hinc porro

rem

rem Emphyteuticam libere tractare, possidere & ad usum proprium aptare potest, modo deteriorem non reddat; nam de ipsa rei proprietate participat, & rem Emphyteuticam non quidem jure proprietatis sed ei proximo possidet *l. i. ff. ag. velt. §. 3. l. de locat.* Unde & utilis rei vindicatio ei, etiam adversus dominum, competit, *l. i. inf. C. ne jur. Emphyt. & l. 16. §. ult. ff. de pign. & hypot.*

X. Ex eodem jure Emphyteutæ quoque, ipsum jus Emphyteuticum vendendi, & meliorationes suas sive emponemata alienandi, facultas constituta est, certis tamen conditionibus: ut videlicet propter jus *proprietatis domini* consensum requirere teneatur, eique denunciare ut vel ipse emat vel aliis emere permittat: quod si dominus ita interpellatus non esse sibi voluntatem emendi declareret, aut intra duos menses post factam denunciationem sileat, tum demum, invitissimo etiam domino, ad alios jus suum transferre licebit. *l. ult. C. de jur. Emphyt.* & eo casu dominus novum Emphyteutam, salvo tamen ejus laudemio (id est, quinquagesima parte pretii vel estimationis rei) in possessionem admittere cogitur. *l. 3. C. de jur. Emphyt.* Bachov. *v. i. D. 29. tb. 3.* Borcholt. *de fud. c. 3. n. 36.*

XI. Ita quidem in juris Emphyteutici venditione, secus vero in ejusdem donatione rem sese habere arbitramur, contra nonnullos, qui necque hujus donationem inconsulto domino directo fieri oportere contendunt. Rationes haec sunt; 1. Quoniam antiquitus Emphyteutam quovis modo in alium jus suum libere impuneque transferre potuisse constat. *l. 1. in pr. ff. si ag. velt. §. 3. f. de locat. & l. 71. §. f. de leg. 1.* haec vero libera alienandi potestas illi in venditione solummodo adempta est nova quidem constitutione, ut dominus de consensu interpellaretur, ea de causa, ut si velit, eodem pretio emere possit *l. 3. C. de jur. Emphyt.* haec autem ratio plane in donatione non obtinet, quoniam illa est gratuita, & quamvis species alienationis, ex mera tamen liberalitate procedens. Corbul. *de f. emphyt. c. 14. Arn. corv. C. eod.* Deinde Emphyteutam inconsulto domino prædium Emphyteuticum, vel jus sibi competens alteri legare posse certum est. *l. 71. §. pen. & ult. ff. de leg. 1. & l. 219. ff. de V. S.* atqui legitimatum esse donationis speciem non controvertitur *l. 36. ff. de leg. 2. §. 1. f. eod.* Sententia haec quam maxime confirmatur per *l. 1. C. de fund. patr.* ubi statuitur quod Emphyteuta Reipublicæ fundum Emphyteuticum inconsulto domino alteri donare possit, ergo idem in privata Emphyteusi statuendum. Bronch. *Cent. 1. assert. 80.* Et non tantum donare, sed eodem modo Emphyteutæ recte Emphyteusin suam oppignorare, permittare

8 DISPUTATIO JURIDICA

tare & in ea hæredem instituere licere, probatur arg. l. 2. fenn. 13. junct. l. 5. C. de jur. dot. l. 16. §. fin. l. 31. ff. de pign. act. ita tamen, ut finita Emphyteusi, & hi modi finiantur: quia extincto jure dantis, etiam jus accipientis extinguui solet. l. 48. ff. de jure fisci l. 69. de leg. 2. hanc quoque sententiam tueruntur Donell. Comm. de S. C. cap. 14. Perez. C. hoc n. 9. Voet. ad tit. ff. si ag. vœtig. n. 6. contrarium statuerunt Fachin. l. 163. cont. cap. 97. Hunn. var. res. sur. C. tract. 7. part. 2. q. 12.

XII. Adjungebamus prædii Usumfructum & quasi dominium à domino alteri concedi. Dominus scil. directo dominio sibi retento, possessionem utilitatemque, seu utile dominium, in alium transfert. Idque 1. Contractu. l. 3. ff. de O. & A. l. 20. C. de paet. accedente traditione: nam sicut dominium jure gentium non nudis pactis sed traditionibus transfertur, l. 20. C. de paet. ita & jus Emphyteuticum utpote jus dominio proximum. l. 12. inf. C. de fund. Parim. Per hunc autem Emphyteutæ prædium sub annua pensione colendum fruendum constituitur, & omne illud quod huic contractui adjectum est quamvis præter naturam contractus omnibus modis servari debet l. 1. 2. C. de jur. Emphyt. §. 3. f. delocat. modo tale sit quod neque legibus neque bonis moribus repugnet l. 7. §. 7. ff. de Paet. 2. Testamento. Testatorem enim in hoc jus suum alteri relinquere posse dubium non est, hujusque legati affectus est, ut sicut rei simpliciter legata dominium ipso jure transfertur l. 64. ff. de furris. ita multo magis jus Emphyteuticum: & legatarius pro legato hocco actiones habet alijs pro legatis consequendis datas. l. pen. C. de usuf. Hunn. v. 1. d. 29. ib. 11. 3. Præscriptione 30 vel 40 annorum sive quis rem immobilem à non domino in Emphyteusin acceperit arg. l. 15. §. 27. ff. de damn. inf. sive quis possessionem rei b. f. acquisiverit, eamque non vi, clam, vel precario l. 10. ff. si serv. vind. sed ut Emphyteuta possederit, canonemque solverit l. 3. 4. C. de prescript. 30 vel 40 ann. ac feudum, cui Emphyteusis similis est, annis præscribitur triginta. arg. tit. 26. c. 4. lib. 2. fenn. Neque etiam longum tempus excludendum, si quis domino patiente rem Emphyteuticam per longum tempus bona fide & justo titulo possederit, longo enim tempore dominium acquiritur, l. ult. inf. C. de prescript. long. temp. l. 15. §. 27. ff. de damno inf. hic autem de dominio utili agitur. Beuck. ad tit. ff. si ag. vœt. Struv. ff. eod. n. 64. 4. Successione ab intestato; quæ successio ex jure communi non vero ex jure feudali estimatur; hinc jus Emphyteuticum non solum masculis sed & feminis acquiritur. Nov. 7. c. 3. & quamquam alias ex interpretum sententia

tentia non male à feudo ad Emphyteusin argumentari liceat, illud tamen hic non obtinet, quod feudo præstari debeant servitia feudalia tit. 24. lib. 2. feud. & alia, quæ omnino in fæminam non cadere certum est tit. 6. lib. 2. feud. si tamen aliud quid constitutum, id merito seruandum: testatoris enim vel contrahentium arbitrio totum illud tribuendum est. Hunn. v. 1. d. 29. q. 44.

XIII. *Duplicem* denique hujus contractus *conditionem* esse inculcat nostra definitio. 1. *Legem meliorationis*. Is enim Emphyteuseos præcipuus est finis, ut agri inculti ac steriles colantur, & colendo fertiliores reddantur, uti vel ex ipsâ nominis etymologiâ, suprà nobis allegatâ clarum est. Itaque sicuti conductor, qui male in re conductâ versatur, expelli potest. l. 3. C. de locat. l. 54. §. 1. ff. locat. ita quoque Emphyteuta, si prædium non melius vel cultius, sed deterius reddat, cum contra legem contractus agat. Nov. 120. c. 8. & auth. C. de SS. Eccles. Jus. Clar. lib. 4. q. 27. 2. *Legem præstationis annui canonis*. Hæc enim annua pensio præcipue hujus contractus & juris Emphyteutici propria est; & tam in fructibus, hodie l. 21. C. de locat. quam in pecunia numerata consistere potest. l. pen. C. de div. pred. urb. & rust. Clar. d. §. Emphyt. q. 3. Neque præstatur in redditum compensationem, sed in recognitionem dominii directi, quod penes Emphyteusin constituentem remanet l. 2. 3. C. de jvr. Emphyt. Et hinc facile colligi potest, eam etiam exiguae aestimationis esse posse, nullamque fructibus convenientem proportionem requiri. Unde propter inundationem fluminis vel fructuum sterilitatem Canon non remittendus. l. 1. C. hoc & l. 3. C. de fund. Patri. quia damnum est particulare in fructibus, ex quo non penitus læditur ipsa rei substantia. §. 3. f. de locat. Idem etiam de incursione hostium dicendum videtur, quod per hostilem incursum & ingruentia bella ipsum prædium Emphyteuticum non pereat, sed fructus tantum, qui pars prædii censentur. l. 44. ff. de rei vind. atqui Canon nihilominus præstandus quamvis pars prædii quoque perempta sit. l. 1. C. hoc. Voet. ad tit. ff. si ager. vect. n. 5. Bronch. cent. 1. assert. 84.

XIV. Huc usque à nobis explicata Emphyteuseos non una occurrit species. Dividitur vulgo in *Secularem* & *Ecclesiasticam*, hæc à persona Ecclesiastica in re vel prædio Ecclesiastico. Nov. 7. c. 3. Nov. 120. c. 1. & 6. illa in rebus secularibus sive publicis sive privatis constituitur. Wesemb. ad tit. ff. si ager. vect. Utraque est vel *temporalis*, quæ ad certum tempus non modicum tamen concessa est. l. ult. ff. si ag. vect. non sequitur nihilominus exinde immodicum tempus statim facere Emphyteusin, quin

10 DISPUTATIO JURIDICA

potius conventionis qualitas spectanda. *l. 8. ff. mand. l. 1. §. 3. de superficie.*
Bachov. v. 1. d. 29. tb. 4. vel perpetua, quæ in *perpetuum* conceditur.
l. 1. in pr. & §. 1. ff. si ag. veet. Et quamvis olim ad tertiam generationem
 tantum Emphyteusis ecclesiastica constitui potuerit *Nov. 7. l. 3.* illud
 tamen postea correctum per *Nov. 120. c. 6. Autb. perpet. C. de S. S. eccles.*
 ubi Emphyteusis ecclesiastica in *perpetuum* constitui posse probatur. Arn.
Corv. C. hoc. Zœl. in Comm. ff. loc. cond. n. 65.

XV. *Tempus* Emphyteusi assignari potest vel generaliter sine ulla tem-
 poris speciali expressione, si res hæc vel illa tantum ad tempus alicui dari
 dicatur: vel specialiter cum expressione certi sive temporis sive generatio-
 nis, & tum si certum tempus expressum sit, secularis Emphyteusis ad
 quoscunque hæredes, etiam extraneos transit. *Clar. d. §. Emphyt. q. 28.*
 Ecclesiastica vero ad filios, nepotes, aliosque descendentes transmitti-
 tur, sed his deficientibus ad hæredes extraneos non extenditur, *Nov. 7.*
c. 3. in pr. Borcholt. in tratt. de feud. c. 3. n. 15. Si autem certa generatio
 fuerit expressa, utraque Emphyteusis ad solos descendentes, usque ad ge-
 nerationem expressam transit. *Struv. ad tit. ff. si ag. veetig.* Præfertim
 cum in *Nov. 7. c. 3. §. 3.* dicatur pactum non valere quo cavetur, ut Ec-
 clesia, finitâ generatione, proximioribus ultimi Emphyteutæ consanguineis
 Emphyteusin renovare teneatur. Præterea res in Emphyteusin concessa
 usque ad certam generationem, extinctâ eâ generatione, ad dominum rever-
 titur: *Harpr. ad §. 3. f. n. 208.* & consequenter ipsi integrum erit de eo
 facere quod velit, cum quisque rei sue liber sit moderator & arbiter. *l. 21.*
C. mand. l. 55. ff. de R. f. Fachin. lib. 1. controv. cap. 100.

XVI. In *perpetuum* vero conceditur Emphyteusis sine ullâ hæredum vel
 liberorum mentione, & tunc sive secularis sive ecclesiastica sit, non solum
 ad suos hæredes tum collaterales tum descendentes transit, sed etiam ad alios
 quoslibet. *Nov. 120. c. 6. 7. Beuck. ad tit. ff. si ag. veet.* vel *pro se & filiis*, &
 tunc utraque durat tantum, quoisque descendentes existent, neque ad ex-
 traneos devolvitur. *Clar. §. Emphyt. q. 28. n. 4.* Siquidem hæc lex est con-
 tractus, quæ sanctè custodiri debet. *l. 1. ff. de part.* Et hoc modo delata Em-
 phyteusis ita ad filios pertinet, ut nequeat pater uni ex illis Emphyteusin
 in aliorum præjudicium delegare. *l. 11. ff. de reg. jur. Perez. C. hoc. n. 6.* Vel
 denique *pro se & heredibus quibuscumque*, & tum dubium plane nullum, quin
 utraque duret, donec extranei existent hæredes, particula enim *quibuscumque*
 efficit, ut veniant quoque extranei hæredes, etiam in ea materia, quæ sua
 natura ad hæredes non est transitoria. *Borch. in comm. de feud. c. 3. n. 17.*

XVII. Num

XVII. Num vero rei Ecclesiastica Emphyteusis alicui pro se & hereditibus collata, etiam ad extraneos heredes devolvatur, non omnium eadem est sententia, & quamvis negativam sententiam sequantur plerique, affirmativa tamen veritati magis consentanea videtur. Tum quod hereditis nomen generale sit, etiam extraneos heredes continens in pr. & §. 4. f. de her. qual. & diff. Tum quod generaliter is, qui paciscitur, quibus cunque suis hereditibus atque adeo etiam extraneis pacisci intelligatur, tametsi eorum nulla fiat mentio. l. 7. §. 8. l. 40. in pr. ff. de pact. l. 8. §. 16. quib. mod. pign. vel hyp. solv. Deinde conductus huc, quod si servatis debitis solennitatibus res Ecclesiasticae alienari possint quoad utile & directum dominium, & ita alienatae ad extraneos transirent cap. 1. 2. 3. de his que fiunt a pralat: nihil sit, quo minus Emphyteusis Ecclesiastica alicui pro se & hereditibus concessa ad extraneos non transmitteretur, si nulli supersint descendentes. Hunn. v. 1. d. 29. q. 38. Struv. ad tit. ff. si ag. vell. n. us. Perez. Cod. de jur. Emphyt. n. 5.

XVIII. Emphyteusi hactenus explicatae non valde dissimiles sunt quidam adhuc alii contractus, inter quos occurrit. 1. Feudum, cui quidem cum Emphyteusi illud commune est, ut penes dantem directum dominium remaneat. c. 1. 2. de invest. de re alien. fac. In hoc tamen differt, quod gratis propter militaria officia concedatur. c. 1. §. imprimis. in quib. caus. feud. amitt. Ut etiam, quod res Emphyteutica invito directo domino alienari possit salvo tamen jure prælationis, quod secus in Vasallo obtinet. de prohib. feud. alien. per totum. 2. Contractus censualis in eo conveniens quidem, quod jus annua cujusdam pensionis contineat l. 1. §. 1. de Pub. in rem act. In hoc tamen discrepat, quod hic directum etiam transferatur dominium, & ob non solutum censem statu tempore jus commissi non tribuat. l. 2. C. hoc. Aut. qui rem. C. de SS. Eccles. 3. Contractus libellarius; Quippe in quo Emphyteuta alterum in jure suo substituit sub præstatione anni canonis, & in jure feudal i etiam pro hoc jure accipitur. lib. 2. feud. tit. 9. §. 1. In illo tamen differt, quod in Emphyteusi concedens sit dominus directus, in illo vero concedens utile tantum dominium habeat: Item in hoc, quod possessore etiam non mutato jus istud quodam pretio certis temporibus renovetur, quod plane in Emphyteusi non obtinet. lib. 1. feud. tit. 8. Cujac. de feud. lib. 1. c. 2. in med.

XIX. Expositum hoc usque quomodo Emphyteusis constituantur & quid juris Emphyteutæ in ea competit. Supereft ut videamus quibusmodis constituta finiatur vel amittatur. Illud autem contingit Consolida-

12 DISPUTATIO JURIDICA

tione; cum scilicet Emphyteutæ jus ad dominum, vel illius ad Emphyteutam devolvitur. Vel per successionem moriente Emphyteuta, nullis successoribus relictis. Corbul. de *J. Emphyt.* C. 12. Vel per præscriptionem, sive dominus plenum dominium contra Emphyteutam, vel Emphyteuta rectum contra dominum, denegationi Canonis acquiescentem, præscribat. arg. tit. 26. §. 4. lib. 2. feud. Carpz. p. 2. c. 3. d. 17. Vel etiam per successionem voluntariam volenti domino factam. §. 3. *J. de usfr.* l. 5. C. de O. & A. Contractus enim Emphyteuticus jam recte initus unius pænitentiæ dissolvi nequit. Bachov. v. 1. d. 29. th. 13. Struv. ad tit. ff. si ag. veit. n. 72.

XX. Extinguitur quoque hic contractus, si Emphyteuta *dolo*, *culpâve latâ* vel *levi rem* Emphyteuticam insigniter deteriorem fecit. Nov. 120. C. 8. & Auth. qui rem C. de SS. Eccles. ipsaque diminutio consistat in rei proprietate, nec tantum pertineat ad culturæ neglectum. Tulden. C. hoc. n. 19. Ob *culpam* vero *levissimam* in pænam caducitatis non incidet Emphyteuta, quoniam ex naturâ contractus Emphyteutici propter *latam & levem* duntaxat *culpam* tenetur. l. ff. 23. de R. f. l. 5. §. 1. ff. commod. Si vero pars tantum deterior reddatur, non totam rem sed partem solummodo amitti benignior est sententia. l. 6. & f. 1. ff. de his qua ut indign. aufer. Pæna enim commensuranda est delicto, nec id excedere debet l. 12. 16. ff. de Pen. Beuck. ff. si ager. veit. n. 10, Lauterb. ff. cod.

XXI. Excidit quoque jure suo Emphyteuta, si inconsulto domino & prorsus ignorantie rem Emphyteuticam alienaverit. l. fin. in f. C. hoc. Corbul. d. tr. C. 14. in totum quidem, si tota, pro parte vero, si pars tantum alienata fuerit. Voet ad tit. ff. si ag. veit. Aut requisito domini consensu, sed ante emensum duorum mensium spatium alii vendiderit, traditione scil. facta, nam si ad traditionem nondum processerit Emphyteuta, jure suo non privari videtur. l. 55. §. callidis. de prob. feu. alien. l. fin. C. hoc. Non enim dicitur alienatum, quod venditum quidem sed non translatum est, verba enim cum effectu intelligenda. l. 67. de V.S. l. 1. §. 2. ff. quod quisq. jur. in al. stat. Vel denique si factâ quovis modo alienatione novi Emphyteutæ investituram non petuit intra tempus legitimum. l. 3. C. hoc. Clar. lib. 4. q. 23. Donell. l. 9. comm. de J. C. c. 14.

XXII. Ob *neglectam* denique *Pensionis solutionem* specialiter in commissum cadit Emphyteusis, intra biennium in Ecclesiastica. Nov. 7. C. 3. & Nov. 120. C. 8. Intra triennium vero in Seculari. l. 2. Cod. hoc. licet nulla etiam intervenerit interpellatio. l. 2. C. hoc. l. 12. C. de contrah. stipul. ita ut nec

nec expensas ex natura contractus factas repetere possit Emphyteuta. *Aur.*
qui rem C. de SS. Eccles. l. 55. §. 1. l. pen. ff. locat. Neque moræ purgatio ju-
re Civili hic admittitur. *arg. tit. ff. de leg. commiss.* quoniam Emphyteutæ
dies & pæna est imposta. *l. 2. C. hoc.* Atqui generale est cum dies & pæna
obligationi adjecta sit, moram purgari non posse. *l. 12. C. de contrah.* &
commis. stip. l. 23. ff. de O. & A. Borchol. de feud. *C. 3. n. 32.* Nihil est
etiam, quo minus res tota in commissum cadat, si Emphyteuta tantum
Canonis partem solverit. *l. 6. C. de distr. pig. l. 78. §. 2. de contr. Empt.* Is
enim, qui aliquid sub pænâ præstare tenetur, in pænam incidit nisi to-
tum præstet. *l. 85. §. pen. ff. de V.O.* Quod etiam in Emphyteuta quam
maxime obtinet. *Hunn. §. 1. d. 29. q. 49.* Præterea quælibet conditio est
individua, quæ, si pro parte deficit, in totum falsa redditur. *l. 56. ff. de cond.*
& *demonf.* Illud quoque procedere videtur, et si unus tantum ex pluribus
Emphyteutæ hæredibus esset in morâ: particularem namquæ solutionem,
ut nemo aliis, ita nec dominus directus admittere tenetur. *l. 7. ff. Comm. div.*
l. 25. §. 12. ff. fam. ercise. Cl. Voet. *ad tit. ff. si ag. velt.* Neque ex personâ
hæredis mutatur obligationis conditio. *l. 2. §. 2. ff. de V.O.* sed, uno hæ-
redum non solvente, pæna omnibus incumbit. *l. 5. §. 3. de V.O.* Hisce ta-
men ille damnum hoc resarcire tenetur. *l. 25. §. 12. ff. fam. ercise.* Jalon.
d. C. de jur. emphyt. n. 7. Fachin. *lib. 1. contr. jur. C. 89.*

XXIII. Utrum vero Emphyteuta prædio excidat ob non solutum ca-
nonem *ipso jure*, an potius *sententiâ judicis privatâ*, merito in disceptatio-
nem trahitur; & sententiam non requiri, ipsoque jure commissum fore, ju-
ris dictamini magis respondet, atque etiam probatur in *l. 2. C. de jur. Em-*
phyt. ubi Justinianus inquit, domino licere Emphyteutam expellere, qui
in solutione cessavit per triennium, si igitur domino eum expellere liceat,
sequitur non opus esse judicis sententia, neque ulla etiam fit mentio sen-
tentiam judicis privatam hic requiri. *Clar. lib. 4. emphyt q. 9.* Præterea ea-
dem lex 2. & *Nov. 7. C. 3. §. 2.* utuntur particulis *omnino*, *omnimodo*,
quarum vis est, ut significant aliquid fieri ipso jure & simpliciter, ideo-
que tantum requiri declarationem domini. *Bachov. V. i. d. 29. th. 12.*
Lauterb. ff. si ag. velt. Quamvis vero Emphyteuta ob defectum solutionis
ipso jure possessionem amittat, haud tamen statuendum propriâ auctoritate
illum à domino posse expelli, verum judicarius ad id requiritur processus
l. 167. de R. f. l. 13. §. 3. de usur. Nemo enim sibi ipsi jus dicere aut se-
met ipsum vindicare potest. *l. 13. ff. quod met. caus. l. ult de vi priv.* Vinn.
ad *§. 3. f. de locat.* Perez. *Cod. de Jur. Emphyt.*

XXIV. Coronidis & quasi auctarii loco discutiendam hic se p̄̄abet iam olim agitata quæstio, quænam scil. Actio ex contractu Emphyteutico detur & profluat, & nonnulli in ea versantur opinione, quod actio præscriptis verbis ex hoc contractu nascatur. arg. l. 2. 3. ff. de præscript. ver. Accurs. l. 1. C. hoc. Oldendorp. classe 5. de act. emphyt. Alii tamen contra conditionem ex lege competere contendunt. Donell. l. 9. Comm. de f. C. c. 14. Wesemb. ad tit. ff. si ag. vecl. Arn. Corv. C. hoc. Sed neutri harum opinionum subscribendum videtur, verum propriam inde emanare actionem, nempe Emphyteuticariam, juri magis consonum esse censeo, arg. l. 15. §. 26. de damn. inf. l. 66. ff. de evict. Et quidem actionem in personam, non vero in rem. Omnis enim actio, quæ ex contractu nascitur, personalis est. §. 1. inst. de act. Nullam autem aliam actionem exinde oriri patet, quod Emphyteusis, utpote contractus, sua indole & natura absque ullâ novâ lege obligationem & actionem producat. l. 7. §. 1. ff. de Patt. Actiones enim, quæ ex nominatorum contractuum vi naturali proveniunt, etiam appellationem ab ipsorum contractuum nomine fortiri manifestum est. tot. tit. ff. & C. de pign. action. & §. 4. inst. quib. mod. contr. obl. l. 12. §. 2. ff. depos. Hujus quoque sententiæ fautores reperias Bachov. ad Treutl. v. d. 29. ibique Hunn. q. 58. Echolt. ad ist. ff. locat. cond. Beuckel. ad ist. ff. si ag. veclig.

C O R O L L A R I A.

I.

Pater filio ex heredato etiam pupillariter substituere potest.

I I.

Inter verbis conjunctos etiam juri accrescendi locus est.

I I I.

Paclum de non petendo inter debitorem & creditorem initum fidejussioni quoque prodest.

I V.

Filius fidei commissso gravatus simul Legitimam & Trebellianicam deducere nequit.

TER

T E R I Ö
Generosissimo ac profundæ Eruditionis
V I R O J U V E N I ,
D. PAULO DE GRUYTER
DICTO B U Y S ,

Elaboratæ de EMPHYTEUSI Disputationis AUTORI ,

*Cum Amplissimo jConsultorum Ordini plurimo suo
merito insereretur.*

Rgò , peractis ritè laboribus ,
Ornat GRUTERUM debita laurea ?
Quid , Musa , cessas ? Quid moraris
Digniloquum resonare carmen ?

Quòd si , tuarum conscia virium ,
Forsàn minutis , Diva , nimis modis
Tam magna sectari recuses ,
Icarex memor usquè fortis :

At tuta saltèm (quippè loci sciens)
I , quare Famam : præcipe , Cynthios
Mox scandal axes diditura
Orbe decus *Busiasque* laudes

Toto . Canendas , dic agè , pectoris
Dotes sublimis non humili tubâ ;
Dotes relicturas superstes
Post cineres fine labe nomen .

Laudet

Laudet flagrantes Mentis ad ardua
Natæ calores. Non sine plausibus
Dicat per obstantes labores
Ingenii penetrantis artes.

Narret merenti jam data Præmia,
Testes honorum; Præmia, queis licet
Solis frui Juris severi
Interiore notâ beatis.

At, Musa, quid Te sollicitus moror?
En, incitantis nullius indiga,
Jam nunc GR U T E R U M buccinatrix
Fama vehit geminum per orbem.

Xeopodistixov.

nonne reDVX CœLo terras astræa reVIsat?
en IpsI rVrI Dat sVa IVra Dea!

DDDCLXVVVVVIII.
MDCXC.

F. H. D. L.

